HIERONYMUS
Admont (?), 1. Hälfte 12. Jh. Seite 150r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift



inconfusione eorum. Memento horum iacob et israel quoniam
seruus meus es tu. israel ne obliuiscaris mei. deleui ut
nubem iniquitates tuas. et quasi nebulam peccata tua.
Reuertere ad me. quoniam redemi te. Laudate celi quoniam
misericordiam fecit dominus. iubilate extrema terre. resonate montes
laudationem. saltus. et omne lignum eius. quia redimet dominus
iacob et israel gloriabitur. Lxx. Memento hoc iacob et
israel quoniam puer meus es tu. Formaui te puerum meum.
et tu israel ne obliuiscaris mei. Ecce enim deleui sicut nu
bem iniquitates tuas. et sicut caliginem peccata tua.
Reuertere ad me. redimam te. Letamini celi. quo mi
sertus est dominus israhelis. Canite tuba fundamenta terre.
clamate montes leticiam. colles et omnia ligna que
in eis sunt. quoniam redimet dominus iacob et israel inclytus
erit. Cum hec se ita habeant. et idola hominum scias
esse figmenta. o iacob et puer meus israel ne obli
uiscaris tui creatoris. tamquam ipse iniuriam facias. ut
incurueris operam manuum tuarum. quia in aduentu
pueri mei quem elegi. penitus destruenda sunt. Prop
terea tota mentis auiditate cognosce. quod sicut nubes
caligo et nebula uel solis calore dissoluitur. uel
uento raptante tenuatur. ita iniquitates tuas et
uniuersa peccata quibus prius me offenderas dis
solui faciam. Tu tantum reuertere ad me. et age pe
nitentiam. quia redimendus es precioso sanguine.
Quod si feceris. scias in salute tua celos terramque letari. et
omnia elementa concinere. siue angelos qui mo
rantur in celis et alias potestates quibus terre fun
damenta purgantur. uel certe apostolos et prophetas

Formaui te seruus meus es tu.